

Letter 510: 26 May 1533, Augsburg, [Gereon Sailer] to Capito and Martin Bucer

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, pp. 381–4.

Salve optime Capito. Si nostri nostrae ecclesiae detestandam faciem ad te atque Bucerum non perscribunt, immo si vos non consulunt in motibus istis tumultuosis, male faciunt. Si silent, Michaellem timent, quod non possint conditionem nostratum scribere, sine Michaelis nota omnibus merito lugenda. Parcant igitur Michaeli, donec pessundetur Christus. Parcent autem, si parcent diutius, donec et eorum autoritas et verbi quod predicant dignitas labefactetur non tantum sed in totum pereat.

Reclusum est idolum quod in die Ascensionis Domini consueverunt fune ad caelum trahere et hoc auctoritate et voluntate praefecti ecclesiae S. Mauricii, annuentibus utrisque consulibus. Sed parum animose persistensibus, Fuggerus Antonius istius ecclesiae membrum et parrochus aliud idolum priori multe praestantius comparavit. Ianuae item valvae, per quas transire debebat idolum eiusdem praefecti Marci Ehams auctoritate, et consulum nutu clausae sunt; aperiuntur autem iamiam ascendente idolo, temerario ausu Fuggerorum, immo vi infringuntur; quod dum praefectus atque plebis pars rescium, accurrunt, immo plerique alii irruunt; idolum Fuggeranorum auxilio ad trabes usque attollitur, id idem plebis et praefecti ope deiicitur. Sacrificii atque Fuggeri duo, Antonius et Raimundus, 31 famulis stipati, plebem concitatiores videntes, fuga sibi consulunt. Heri vocati Fuggeri ad senatum praetexerunt multa, sed quam foeliciter nondum scio. Cras idem negocium tractabitur. Utinam pro dignitate, ne quid secus post hac contingat, si plebs intelligat veniam dari corvis et plecti columbas. In summa: parum absint quin tota civitas ad arma venisset. Praedicatores sui muneris esse putarunt, ut hac de re inter se consultarent, et quid periculi immineret ex negligentia reipublicae nostrae administratione, senatum admonere voluerunt. Michaellem ter vocant ad consilium; Michael sibi alia maiora praetexit negocia, suo more agit. Dein extorsere nostri, ut Michael diceret, “Er sech weiter weder sy; er woll den handel fur in selbs pey den herren under die hend nemen.” Consules cum hoc uno consultant. Quanta dexteritate hoc fiat, olim timeo orbi magno offendiculo innotescet.

Mille alia essent scribenda, sed studio nolui quando huic facile possitis estimare alia. Si fratres talia vobiscum, non communicant, malefacerent. Fac, ut Bucerus et Fontius atque ceteri eadem ad te scripta legant. Non licuit enim vel illas literas corrigere vel plures scribere. Scire cupio num per Hertzungum pueri pugiones cum literis meis acceperint. Fac ut sepius rescribant, quod et tu etiam facias te rogo. Saluta pueros et Bernardum, eos tibi commendo. Hortare Bucerum, Hoedionem et Bartholomeum ut scribant. Maxime timemus Constantiensi ecclesiae, ne illa in recipiendis sacrificiis plures offendat. Hochtellium cum uxore tua atque illius salvere iubeo. Vale ocysime, Augustae. XXVI Maii anno MDXXXIII.

Libri per te missi, per aurigam sunt redditi. Nostri iurisperiti consilium aediderunt, senatu hoc volente, de non abrogandis papisticis. Duae rationes aliquomodo videntur imperitis fortes, cetera omnia vana sunt: Prima, quando nos evangelici dicamus Caesari non habere eum potestatem in animam sed tantum in corporis atque fortunae bona, ob id neminem ad fidem cogendum neque cogi posse. Cur non idem nobis dici possit, quod papistas ad fidem non possimus cogere, quum Caesari hoc non liceat? 2a, omnem potestatem pendere a Caesare, neque magistratum aliud posse, nisi quantum a Caesare ei indulgeatur, ob id non posse magistratum imminuere privilegia sacerdotum. Vellem ut ad haec tu atque Bucerus per litteras ad nos copiosius responderetis.

[*Address*]: Praestantissimis theologis, eruditione atque pietate insignibus, V.F. Capitoni et Martino Bucero Argentoracensibus, fratribus in Domino observandissimis. Str[asb]urg.